



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae  
Augustiniani. De Praecipvis Urbis Romae  
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo  
uocant, Liber**

**Panvinio, Onofrio**

**Romae, 1570**

De basilica Leoniana minori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11316**

in ecclesie usum translata : ita ut ex tanta machina nihil præterea quam ingētes parietina, crassissima parastata, & maxime aggerū ac murorum strues, omnes sine cōtignatione supersint. Extant adhuc uestigia & parietes aula Leonianæ, cubiculorū Innocētij II. & Callisti II. ædiculæ S. Nicolai, & conclauiorum Cælestini, III. quæ uel ex insignibus, uel picturis, aut elogijs adhuc agnosci possunt, quamquam nullus ad ea nisi admotis scalis modo aditus sit.

De basilica Leonina minori.

Introeuntibus interiorem Patriarchij partem supra aliquot gradus statim sese offert aula magna cum tribus tribunis, quæ a Leone III. conditore Leonianâ aulâ ueteres uocabant. Hæc uel musiuo, uel marmorea crustatione, tota exornata erat. Superest adhuc uetustum e musiuo emblemata circum absidâ tribune in postico aula, in quo S. Petrus sedens pictus est, qui Carolo magno Imperatori leua uexillum, Leoni uero papæ III. dextra pallium ante se genu flexis porrigit, cum hisce inscriptionibus: SANCTISSIMVS. D. N. LEO III. PAPA. Item, D. N. CARVLO REGI. Infra uero sub s. Petri pedibus.

BEATE PETRE . . . . .  
 . . . . . LEONI PAPAE ET BITORIA  
 CARVLO REGI DONA

Hæc ( ut dixi ) antiquitus basilica Leoniana minor ad differentiâ maioris, quæ & Casa maior uocabatur, dicta est; eratque iuxta pōtificis cubicula siue cameras, in qua  
 pontifex

pontifex, in quibusdam præcipuis solennitatibus cū Cardinalibus comedere solebat, ut secūda & tertia feria Paschæ, & alijs quibusdam diebus. In ea quoque publici conuentus, siue conſistoria fieri solebant: nunc tectum & pauimentum dirutum est, supersuntque tantum altissimæ parietinæ, quibusdam pretiosi operis columnis ornatae.

De porticu Lateranensi.

Ante palatium Lateranense (cuius frons aliquādo totus opere arcuato aptus erat, hodie uero arcus oēs muro clausi sunt, præter arcū portæ palatii ueteris, quæ habet ualuas æreas, a Cælestino III. factas) est porticus antiqua uersus septentrionem locata, ad quam per gradus scalæ sanctæ aditus est: olim fuit tota & marmoreis tabulis incrustata, & uarijs e musiuo emblematis ornata, nunc ea diruta, omnia fere uetustate consumpta sunt. Initio porticus occidentem uersus in fine alterius porticus, quæ hospitale, & pulpitum Bonifacii VIII. respicit, est antiqua fabrica, siue uetus aula quadrata, quam ueterem basilicam fuisse opinor: nunc clusa, & pro domo in usu est. Prope est oratorium sancti Siluestri. Deinde porta, quæ respicit gradus scalæ, (quæ nunc Sanctā uocant) antiquitus uero patriarchij erat; cuius fores æneæ sunt a Cælestino III. factæ. Deinde est columella in duas partes diuisa cum proximo altari muro affixo. Postea a dextra sunt Portæ Lateranēsis patriarchij interioris, post uestibulum ante oratoriū sancta sanctorum, quod oratoriū siue basilica S. Gregorij dicebatur, duobus altari-  
bus uacuis, altero muro affixo prope fenestrā & cæcellos